



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

6. S. Joannes ante portam Latinam

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

liō sex mortui resurgunt ad vitam. Tanti est, vivere, & mori ut Angelum. Fili! desūntne nobis media? Habemus certe in abundantia. Deus quoque non deest. Quis? vel quid ergo? Nemo nisi sibi homo. Nunquid? quia vult piger, & non vult. O pigritiam, non columbis, sed corvis propriam! verū qualis vita, mors est ita.

*Instructio meritoria.*

Memoria mortis reddit hanc suavissimam. Igitur hodie pro nobis ipsis quasi jam jam agonizantibus persolvamus flexis humiliter genibūs coram Crucifijo, aut Sanctissimo commendationem animæ, addendo & communio nem spiritualem. Nunquam moritur, qui mori semper paratus.

**Festum S. Joannis ante Portam**

Latinam.

**EXHORTATIUNCULA I.**

**C**alix Domini, calix afflictionis, & crucis nos terret plerumque, ne vivamus ut perfecti Christi discipuli. Fili! cæci nimis adhuc sumus, quia præ-

P

mia,

mia, & gaudia non cernimus, quæ Deus abscondit sub torculari S. Passionis. Hoc ni calcatum fuerit strenuè in hoc sæculo: Ah! quid timendum de futuro? Solvamus, dum tempus opportunius.

*Instructio meritoria.*

In obviis hodiernis adversitatibus hominem exteriorem componamus ad omnem serenitatem in oculis, & lenitatem in verbis: Et cum S. Joanne constanter adhæreamus Christo. Hinc hymnum recitemus: *Vexilla regis prædeunt &c.* cum Rosario doloroso. Crucces produnt, cuius milites sumus. An inquieti & turbidi sæculi? An Crucifixi Domini.

II.

**F**illi, datur S. Joanni optio, aut mori in ardenti, & ferventi oleo! aut abnegare, & abjurare fidem Christi! Quid eligit? Primum: & ò quam feliciter! nam nec ignis nocuit, qui Jesum nunquam deseruit. Luunt carnifices: Liber evadit à flammis Evangelista. Quantum prodigium! & hos Christia-

VI. Maij. S. Joan. ante Portam Lat. 339

næ constantiæ præmium! Statutum &  
nobis: Sed fideliter pro Christo decer-  
tancibus.

*Instructio meritoria.*

Fidem noviter denuo Jesu, repetendo  
illam formulam in Baptismo usurpatam:  
*Credo in Deum Patrem! Credo in Chri-  
stum Iesum &c.* Econtra abrenuntio  
carni, mundo, satanæ! abrenuntio &  
omnibus pompis ejus. In fine junga-  
mus: *Quicunque vult salvus esse &c.*  
Nihil beatius, quam credere: Sed ope-  
re, & veritate.

III.

**E**Vasit martyrium unum S. Joannes,  
jam damnatur ad alterum; quia  
mittitur in exilium. Sic ludit Divinus  
amor. Auget occasionem patiendi, ut  
inveniat ampliorem retribuendi. O igi-  
tur ignava hominum corda! quæ vel ad  
tolerantiam afflictionis fortè unicæ cre-  
dunt, se jam præstitisse plurima. O fili!  
plus ultrà! amor in Deum nescit excessum.  
Nunquam nimius pro cœlo labor.  
Sursum ô dilecte! actus actibus junga-  
mus. His scanditur cœli patria.

P 2

In-

*Instructio meritoria.*

Quid dulcius cœlo? - huic ut nostrum  
maneat inscriptum Nomen, duodecim  
actus exerceamus contrâ iram, & inordi-  
natam tristitiam, quâ forsitan gravius  
impugnabimur hodie; ad noctem verò  
*duodecim Pater & Ave cum Psalmo:*  
*Laudate Dominum omnes gentes O.*  
Item: *Lætatus sum in his, quæ dicta*  
*sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Et  
in exilio? in captivitate ita hæremus?

Festum S. Stanislai totius Polonie Thavmaturgi Clementissimi

**EXHORTATIUNCULA I.**

**M**Odicæ fidei! cur hominem time-  
mus? S. Stanislaus Regi Boleslao  
turpiter viventi libidinem publicè obji-  
cit; minatur Dei judicium, & perpetu-  
um damnationis supplicium. Sic lo-  
quuntur viri zelantes honorem Dei.  
Fili! & nos inter illos? O utinam!

*Instructio meritoria.*

Quot bona omisimus? quot mala  
commisimus; quia hominis oculos, ju-  
dicium, favores, & æstimationem re-  
spexi-